

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Frankofurti ad Moenum, 1682

Feria III. pentecostes

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

tur, Eph. 6. v. 12. Sicut enim omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, Jac. 1. v. 17. ita ex adverso omnia peccata & flagitia à diabolo derivantur, qui pater mendaciorum est, Joh. 8. 44. & qui facit peccatum, ex diabolo est, 1. Joh. 3. 8.

2. *Ratione exercitii.* Quia plerumque in tenebris perpetrantur: Mane primo confurgit homicida, Job. 24. 14. 15. eadem ratio aliorum peccatorum est. Cum enim homines dormiunt, venit inimicus, & superfeminat zizania in medio tritici, Matth. 13. 15.

3. *Ratione supplicii.* quia tandem hominem, qui in iis perseverat, in aeternas tenebras præcipitant, ut abeat ad progeniem patris sui diaboli, & usque in aeternum non videat lucem, Psal. 49. 20.

Genuini Christiani fugiant hæc tenebrarum opera. In V. T. Judæis prohibitum

erat, ne comederent *nocturnam*, nec sacrificarent illam, Levit. 11. v. 16. Hoc ipso Deus nihil aliud innuere voluit, quam quod *corvili nocturni*, qui in operibus tenebrarum delectantur, ad regnum suum non pertineant, sed in regnum tenebrarum, ex quo nos Christus liberavit, 1. Pet. 2. v. 9.

Quia igitur hoc nobis exploratum est, quod Christus opera tenebrarum odio habeat, nolite communicare illis, Eph. 5. 11. sed lucete, in medio nationis pravae atque perversae, sicut luminaria in mundo, Phil. 2. v. 15. sic aliquando fulgebitis, quasi splendor firmamenti, Dan. 12. 3. & sicut sol in regno Patris, Matth. 13. v. 43.

Hoc ipsum nobis largiri dignetur Deus Opt. Max. per & propter Christum, Dominum & Servatorem nostrum, in Spiritu S. Amen.

Feria III. Pentecostes.

Evangelium, Joh. 10. v. 1. -- 10.

EXORDIUM.

CUM Deus Philistiim, qui appropinquaverant ad pugnandum contra Israel, fragore tonitruum exterruisset adeo de cælo, ut caesi essent à filiis Israel: Tulit Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen; & vocavit nomen loci illius, Ebenezer, h. e. lapis adjutorii, dixitque, hucusque auxiliatus est nobis Dominus, 1. Sam. 7. 10. 12.

Nos, Dilecti! similiter per Christum præclaram victoriam obtinimus contra infernales Philistiim: *In cruce enim clamavit:*

Consummatum est, Joh. 19. v. 30. *In resurrectione sua:* Noli timere: ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus: & ecce, sum vivens in secula seculorum, Apoc. 1. v. 17. 18. *In ascensione sua:* Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum, Joh. 20. v. 17. estote bono animo: In domo patris meae mansiones multae sunt, Joh. 14. v. 2. *In festo Pentecostes* Paracletum Spiritum Sanctum misit, & linguarum ignitarum specie super Apostolos effudit, Act. 2. 3. Hæc omnia in nostrum

Yyy3

cmo

emolumentum facta sunt. Sicut enim traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram, Rom. 4. v. ult. ta etiam propter nos ad cælum ascendit, & hoc ipso acquisivit nobis spiritum sapientiae & intelligentiae, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiae & timoris Domini, Esa. 11, 2. spiritum gratiae & precum, Zach. 12, 10. spiritum adoptionis, Gal. 4, 6. Doctorem linguarum, datorem donorum, arrhabonem salutis. Hinc canere possumus: Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis, Psal. 115, v. 12. 13.

Quemadmodum igitur Israelitæ Pentecosten suam solenniter celebrarunt, & septem diebus continuis lætitia exultarunt, *semel ratione legis*, quam Deus illis illo die promulgaverat, Exod. 19, v. 16. *Deinde ratione novellarum frugum*, quia tum temporis messis initium capiebat apud ipsos, unde Deo ad contestandam gratitudinem suam primitias, & duos panes Movendæ, de duabus decimis similæ fermentatæ offerre tenebantur, Levit. 23, 17.

Ita & nos devotionem nostram, non primo statim die finiamus, sed perficiamus sanctificationem, in timore Dei, 2. Cor. 7, v. 1. Multa enim beneficia Dei sunt, quæ nobis præstitit, multa dicemus, & deficiemus in verbis, Sir. 43, v. 30. non est invenire magna Dei, cum consummaverit homo tunc incipiet, c. 18, v. 6.

Hoc sine iterum convenimus, ut Domino Ebenezzer, sive laudis monumentum erigamus, qui nobis hucusque adjumento fuit, & ita Pentecosten nostram consummabimus. Siquidem gratiarum actionem meretur, quod nos spiritu suo sancto tam benigne adfuit, mihi vires ad dicendum, vobis ad audiendum largitus est. Sed & res ipsa re-

quiret, ut eum porro invocemus, ut præsidio suo sicut hactenus ita & in posterum nos fovere, & verbo suo virtutem largiri dignetur, ne labor noster in Domino inanis sit, 1. Cor. 15, v. ult.

Ansam huic rei suppedabit nobis prælectum Evangelium, ubi de ovili sermonem instituemus, quæ est ecclesia, in qua Spiritus Sanctus officinam suam habet, evolans ex ea & revertens in eam, sicut columba in arcam Noæ, Gen. 8, 8. & oviculas sufficienti pascuo sustentans, ut non destituantur omni bono, Psal. 34, 11.

Nos sine ulteriori præloquio ad prælectum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀρθροπορογίαν sive *notitiam nostri.*

II. ἀριστογιστίαν, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Exegesis.

HAud inconcinne Servator noster appellatur *Doctor eruditæ lingua*, Esa. 50. in illo enim omnes sapientiae & scientiae thesauri absconditi sunt, Col. 2, v. 3. ita ut linguis angelorum, 1. Cor. 13, v. 1. vel eo modo sicut Deus in monte Sinai locutus est, Exod. 19, 1. cum hominibus loqui potuisset, si voluisset, aut ita ei visum fuisset. Sed propter imbecillitatem nostram semper nobis descendit, & ut plurimum in notis parabolis mysteria regni Dei ita docuit & exposuit, ut simpliciores per eas insigniter profecerint: sicut hujus rei exemplum habemus in prælecto Evangelio, in quo Servator allegorice *in similitudine ab ovili desumpta*, *condi-*

conditionem Ecclesie affabre describit, unde & ab Evangelista ipso *παροίμια* vocatur.

Ἀθήνη πολοζία, sive *notitiam nostri* hic discemus, si spectemus:

1. *Ecclesia figuram*, quam Christus cum ovili comparat, dicens: Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.

Alias in scriptura alia præclara epitheta inveniuntur, quæ Ecclesie Christi applicantur: Nominatur enim, *corpus Christi*, Eph. 1. v. 23. *Sponsa Christi*, Esa. 61. v. 10. Joh. 3. v. 29. Apoc. 22. v. 19. *Regnum caelorum*, Matth. 3. v. 2. *Civitas Dei*, Psal. 46. v. 5. *Domus Domini*, Psal. 27. v. 4. & sic ulterius. Verum hic ovili confertur, idque

1. *Respectu Christi*, qui non modo bonus ille pastor, Joh. 10. v. 11. princeps pastorum, 1. Pet. 5. v. 4. magnus pastor ovium, Hebr. 13. v. 20. sed & præcipua ovis & agnus Dei est, quem Johannes digito monstravit, dicens: Ecce, agnus Dei, Joh. 1. 29.

2. *Respectu nostri*. Omnes enim eramus sicut oves errantes: sed conversi sumus nunc ad pastorem, & Episcopum animarum nostrarum, 1. Pet. 2. 24. ut in ovili Ecclesie mansionem nostram habeamus, dum in caelestem Hierosolimam transferamur, ubi non amplius in devia aberrabimus, sed sequemur agnum, quocumque ierit, Apoc. 14. 4. & in habitatione pacis, in contemplatione SS. Triadis nos oblectabimus, in sempiternum, Esa. 32. v. 18.

3. *Respectu sui*. Quemadmodum enim ovile non magnifice exstructum, nec altis muris cinctum, aut turribus munitum est:

sed ali specie apparet, & nisi pastor cum canibus excubias ageret, vix illud præsidio esset ovibus. Sic etiam Ecclesia in his terris tenue perfugium habet, est enim pusillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Sophon. 3. v. 12. misera, tempestate convulsa, absque omni consolatione, Esa. 54. 11. Sed Christus non relinquet suos orphanos, Joh. 14. 18. sed requiret oves suas, Ezech. 34. v. 11. eritque murus ignis in circuitu ejus, Zach. 2. v. 15. & per ministros suos, qui canibus vigilantibus conferuntur, Ezech. 56. v. 10. lupis adeo se opponet, ut pro libitu in ovile non irruinere, & sævire possint, unde etiam vigiles illi appellantur, Ezech. 3. 17.

In ovili oves & agni inveniuntur, quorum alii sani & valentes, alii ægri & infirmi sunt, ut propterea sollicita cura indigeant. Pari modo in ecclesia non omnes robusti sunt in fide, ut Abraham, Rom. 4. 18. Centurio Capernaiticus, Matth. 8. 10. Mulier Cananæa, Matth. 15. v. 28. Stephanus, Act. 6. 8. & quæ plura hujus generis exempla in facris occurrunt: sed potius locum habet illud Pauli: Inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, 1. Cor. 11. 30. At tamen eos Christus propterea rejicere non vult, sed potius per fidem custodire ad salutem, 1. Pet. 1. v. 5. Hinc ipse ait: Quod perierat, requiram, Ezech. 34. v. 16.

Ovile, sive septa ovium, in quibus oviculæ sub dio pernoctant, non semper uno loco manet, sed huc illuc transportatur, unde etiam vita hominum ob brevitatem tabernaculum pastorum vocatur, Esa. 38. v. 12. Ita Deus cum verbo & sacramentis suis certo loco adstrictus non est, sed ob ingratitude hominum de una gente ad aliam transit, sicut Paulus perspicue Ju-

Judæis id explicat, dicens: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, Act. 13, 46. Hoc quoque ita factum est. Et ubi ovile hoc principio in Palæstina fuit, postea in Asiam minorem & porro in Græciam translatum est. Inde in Italiam, & tandem etiam in dilectam Germaniam nostram promotum est. Verum studiose nobis enitendum est, ut digne ambulemus Evangelio, ne Deum ad iram promoveamus, & peccatis nostris abigamus. Neminem enim violenter in cælum pertrahere vult: sed proponit homini vitam & mortem, & relinquit in arbitrio hominis, ad quod voluerit, ut porrigat manum suam, Sir. 15, v. 17. Psal. 81, 13.

Hic inspicias & probes velim te, mi Christiane! utrum in vili vera Ecclesia specie offensus, splendore & pompa Adversariorum infarnatus fueris?

Quin Historiis nostræ plane hospes est, multa magnifice extructa templa, partim à Judæis partim ab Ethnicis, partim à Christianis inveniet.

Templum Salomonis fuit machina prorsus stupenda, in qua fabricanda & exornanda duo centena milliavirorum totum septennium occupati fuerunt, 1. Reg. 5, 6, 7.

Quam admiranda structura *templum Diana* fuerit, hinc constare potest, quod in eo adornando, tota Asia ducentos & viginti annos laboraverit, uti Strabo meminit, ejus mentio fit, Act. 19, v. 27.

Cum Turci Constantinopolin occupassent, admirabantur *elegantissimam Sophiam* eadem, cujus similis in universo orbe Christiano non reperitur.

Quam affabre & magnifice structa fana Romæ, Florentiæ, Venetiis, Argentorati, &

alibi locorum exstant, illis exploratum est, qui in locis illis fuerunt, & oculis suis ea viderunt. Verum illud adeo non refert. *Quod si speciem consideres, quid hic Wittenberga preciosi vides? Nihil vides de Ecclesia speciosum, est vere lucosa civitas, & tamen Palatium Christi eburneum,* scribit B. Lutherus noster. Hoc vero de omnibus templis intelligendum est, quæ exterius vilia apparent: sed grande verbum Dei in iis pure & sincere prædicatur & sacramenta juxta institutionem Christi rite in iisdem administrantur, satis ornata sunt, & quidem præclarius, quam quæ auro & argento venuste decorata conspexeris. Argentum enim & aurum, non valebit liberare nos in die furoris Domini, Ezech. 7, v. 19. Verum verbum Dei potest salvare animas nostras, Jac. 1, v. 21. Psal. 93, 5.

Hoc respectu, *in vili ovili*, ubi verbum Dei pure & sincere docetur, potius quam in magnificis delubris & fanis, in quibus præter idololatriam & humanas ad inventiones nihil auditur, convenire malimus. Ex ovili enim Christus die novissimo oviculas suas, à dextris suis sistet, & in gaudium æternum introducet, Matth. 25, v. ult. Qui vero cum Dema hoc seculum diligit, 2. Tim. 4, v. 10. cum mundo quoque peribit, pœnas daturus interitum æternum à facie Domini, 2. Thess. 1, v. 9.

II. *Ovium naturam.* Christus ita eas describit, quod vocem suam audiant, & se, velut bonum pastorem, sequantur. Has duas proprietates quilibet habere debet, qui inter oviculas Christi referri cupit. *Hæc enim Pastoris vox, continuo in verbo ejus sonat, hæc norma nostra sit oportet, si oves obsequentes esse velimus. Ideo Christus singulis, quos*

quos ad Apostolatam præcepit : Sequere me, Matth. 4. v. 19. Joh. 1. v. 37. & alibi passim.

Hic proba te, utrum & ipse ovicula eiusmodi sis, qua ad ovile Christi pertineas : Ubi quilibet seipsum examinare potest, si Evangelium tanquam regulam inspiciat,

1. *An vocem pastoris audias ?* Hoc valde necessarium est Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.

Equidem Servator hodie non in propria persona nos invisit, ut Zachæum, Luc. 19. 5. nec coram nobiscum loquitur, ut eum discipulis suis, qui verba vita ex ore ejus audiebant, Joh. 6. v. 68. non in visione se nobis manifestabit, ut Jacobo, Gen. 28. 12. nec angelum nobis mittet ut Danieli, Dan. 9. 21. Hoc enim & alio modo olim locutus est ad Patres, Heb. 19. Verum hoc non obstante adhuc hodie ad nos loquitur per ministros & legatos suos. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. 16.

Attentione proinde debita eosdem audias oportet, velut Cornelius Centurio ad Petrum ait : Omnes nos in conspectu Dei adsumus, audire omnia, Act. 10. 33.

2. *An voci pastoris obediat.* Nudum enim audire non sufficit: sed vestigiis Christi quoque insulas oportet, 1. Pet. 1. v. 21. Ecclesie quoque ministris obtemperandum est, & vita ad doctrinam & exemplum eorum componenda. Obedite præpositis vestris & parate eis, Heb. 13. v. 16. 17.

O quam pauci occurrunt, qui his proprietatibus præditi sunt. *Audiores* quidem non *desunt*, qui conciones audiunt, velut Herodes Baptistam libenter audivit, Marc. 6. 20. Verum *Factores desunt*, qui ad normam vocis Christi pastoris vitam suam instituant :

ideo semetipsum fallunt, Jac. 1. v. 22. & sermo quem audiunt, & non faciunt, judicabit eos in novissimo die. Joh. 12. v. 48.

Quod si igitur videri vultis, quod ad ovile Christi pertineatis, non in *ceno peccatorum* eos *volutare* oportet, velut solent immundi porci, 2. Pet. 2. v. ult. sed sanctimoniam sequi, sine qua nemo videbit Dominum, Heb. 12. v. 14. Porci enim non in caulam pertinent, sed in haram diaboli, qui spiritus immundus dicitur, Luc. 11. v. 14.

Non desideris carnis indulgendum est, Gen. 4. v. 7. non stulti loquium aut scurrilitas loquenda, Eph. 5. v. 4. nec quasi juvenculis indomitis lasciviendum, Jer. 31. v. 18. juvenculi enim non locum habent in ovili, sed in lanarium abducentur, quando dies occisionis ingruet, Jac. 5. 5. ubi inigne Dominus judicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti a Domino, Esa. 66. v. 16.

Non mordaces & irvidentes invicem esse oportet, instar canum: sed omnem rancorem deponentes, solliciti servetis unitatem spiritus, in vinculo pacis, Eph. 4. v. 3. canes enim in ovili non tolerantur: sed in tugurium canino-diabolicum pertinent, toris autem sunt canes, Apoc. 22. v. 15.

Non libidini, stupris & adulteriis indulgeamus, nec ad uxorem proximi hinciamus, velut equi amatores in feminas, Jer. 5. v. 8. caballi enim exclusi sunt ab ovili, & ablegabantur in equile diaboli. Manifesta sunt opera carnis, &c. Gal. 5. v. 19. & seqq.

Non rudi ignorantia deditos esse: sed notitiam Dei perdiscentes oportet, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe &

fide, 1. Pet. 3. v. 15. Deus enim asinum dudum reprobravit, Esa. 13. v. 13. ideoque non in caulam: sed in stabulum asininum pertinet, si quis ignorans est, ignorabitur, 1. Cor. 14. v. 38.

III. *Pastorum Censuram.* Amen, Amen, inquit Christus, dico vobis, qui non per ostium intrat in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. *Per ostium intrare, idem est, ac vocationem ordinariam habere.* Idque per multum interest. Nemo enim sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Heb. 5. v. 4. Et ubi hæc vocatio locum non habet, ibi valet, quod Paulus ait: quomodo prædicabunt, nisi mittantur, Rom. 10. v. 15.

Hic verbi ministri & Pastores se examinent, utrum per ostium in ovile intraverint, an vero ut fures & latrones aliunde ascenderint?

Pontificii vocationem nostram in dubium vocant, contendentes, quia à Pontifice Romano, ejusque Episcopis non inuncti, & ordinati simus, legitima nos vocatione carere, adeoque in numerum furum & latronum referendos esse, qui non per verum ostium in ovile intraverimus. Verum his nil movemur. Quod enim Pontifex sibi attribuit, id juxta scripturæ testimonium, toti Ecclesiæ commune est. Matthias ad Apostolatam vocatus est, non ab Apostolis saltem: sed à tota Ecclesia. Act. 1. v. 23. 24.

Similiter septem Diaconi, Act. 6. v. 6. tempore illo Magistratus adhuc gentilismo addictus fuit, ideo ad electionem Pastorum ecclesiæ non adhibitus est. Jam vero merito prærogativam obtinet, quia non modo præcipuum ecclesiæ membrum: sed & ec-

clesiæ patronus & nutricius est, Esa. 49. 23. Quando proinde ordinario modo proceditur, Magistratus præsentat, Ministerium examinat, & plebs consentit, tunc sane, qui hoc modo vocatur, vere de se gloriari potest, quod per verum ostium in ovile ingressus sit, adeoque in mansuetudine animam suam honorare, Sir. 10. v. 3. nihil dubitans, qui se vocavit, & defensusus, & necessariis donis instructurus sit, ut opus Evangelistæ facere possit, 2. Tim. 4. v. 5. Neque enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est qui & idoneos nos fecit ministros N. T. 2. Cor. 3. v. 16.

De Bonifacio VIII. Pontifice Romano scribit Platina: Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.

Quam præclara, si diis placet, subjecta, adhuc hodie in numerum Cardinalium adfiscantur, & ad alia præcipua munera adhibeantur, ut tanquam cardines ecclesiam fulciant & sustentent, notius est, quam ut referri mereatur.

Propterea Pontificii desinant nos exagitaré, & videant *manticæ quod in tergo est.* Nos Dei gratia certi sumus, quod ordinarie à Deo vocati simus, mediantibus illis, quibus hanc spartam concedidit. Optimum Christina est Spiritus sanctus, quem Deus promisit petentibus se Luc. 11. v. 13. Hunc si habuerimus, alias nœnias flocci pendimus, est enim unctio, quæ docet nos de omnibus, 1. Joh. 2. v. 27.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *καὶ εἰς τὴν ἄλλην*, sive *notitiam Christi*, con-

consideraturi. Hic nobis contemplandus proponitur :

I. *Tanquam ovicularum suarum Nomenclator*, h. e. agnoscit easdem interius & exterius, ideoque omnibus, ut conditio earundem requirit accommodat se: simplices instituit, infirmos roborat, peccatores reprehendit, omnia eum in finem, ut ovium suarum commodis inserviat, easque ab interitu aeterno præservet. Vult enim omnes salvos fieri, 1. Tim. 2. v. 4.

Gaudete hinc, Dilecti! quod nomina vestra scripta sunt in caelo, Luc. 10. 20.

Mundo sepe tam odiosi sumus, ut indignos sepe putet, quos nomine appellet. Venite, dicunt Tyranni, & disperdamus eos, ne sint gens, & non memoretur nomen Israel ultra, Psal. 83. v. 5.

Verum confidite Dilecti! Jesus noster tam bonus & fidelis pastor est, ut oviculas suas nomine vocet, & in manibus suis descripsit eas: ut nunquam obliviscatur earum Esa. 49. v. 16.

Sic *Abrahamum nomine compellavit*, dicens ad eum: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis, Gen. 15. v. 1. Ad Mosen inquit: Te ipsum novi ex nomine, Exod. 33. v. 17. Et iterum: Ecce vocavi ex nomine Beseleel, Exod. 31. v. 2. *Nomine vocavit Lazarum*, quando eum è mortuis resuscitavit, Lazare veni foras! Joh. 11. v. 43. ut & *Zachæum*, cum in arborem sycorum ascendisset, Zachæe, festinans descende, Luc. 19. v. 5.

Adhuc hodie vocat fideles suos nomine, ne timeant, Esa. 43. v. 1. firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus, 2. Timotheum 2. v. 19. ideoque non desperare nec queri debes: Dominus oblitus est mei,

Esa. 49. 15. quomodo enim ille oblivisceretur tui, qui ex nomine vocat omnes stellas, Esa. 40. v. 26. imo qui te libro vitæ inscripsit, ut neque diabolus, neque tyranni inde nomen tuum delere possint, Apoc. 21. v. ult.

Sed cavete, Dilecti! ne nomen putidum sine infamiam vobis concilietis, & sit vobis cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo, Heb. 3. 12. sed perseverate usque ad finem Matth. 10. 22. ne deleatur memoria vestra, & tandem vocem horrificam audiat: Non novi vos, Matth. 7. 23.

II. *Tanquam ovicularum suarum gubernator*, qui oviculas suas non modo gubernat, sed in læta pascua deducit, hinc David: Dominus est pastor meus, nihil mihi deerit, Psal. 23. v. 1. seqq.

Via via est, inquit Augustinus: Dum enim domi sumus, in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. 6.

Quemadmodum igitur in via facile aberrare, aut in latrones incidere possumus, ut homo ab Hierus. ad Hiericho descēdens, damno suo id comperit, Luc. 10. 30. ita & nobis bono ductore opus est, qui nos deducat in via recta, Psal. 143. v. 10. & custodiat introitum & exitum nostrum, Psal. 12. v. 8.

Hoc utique Dominus facit, & *educit oviculas suas in nativitate*, quando easdem extrahit de ventre, Psal. 22. v. 10. *introducitur* easdem, quando per baptismum renascuntur, & ecclesie immatriculantur, ut non amplius hospites & advenæ, sed cives sanctorum & domestici Dei sint, Eph. 2. 19. *educit eas* quando illas à servitute peccatorum liberat, ut respiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult. *introducitur easdem*, quan-

do illas in gratiam recipit, & projicit in profundum maris, omnia peccata illarum, nec reminiscitur illorum, Mich. 7. 19. Ezech. 18. v. 22. *Educit illas*, quando moriuntur, ut anima liberetur è carcere, in quo captiva tenetur, Rom. 7. v. 24. *Introducitur illas*, quando animam per angelos portari curat, in sinum Abraham, Luc. 16. v. 22. Die novissimo demum veram dominationem instituet, & oviculis suis vitam æternam dabit, sicut iisdem promisit, Joh. 10. v. 28.

O ductorem potentissimum! qui omnia offendicula & impedimenta è via amolitur, dans lassis virtutem, ut ascendant alis, quasi aquila, currant & non fatigentur: ambulent, & non desistentur, Esa. 40. v. ult.

O ductorem sapientissimum! qui ipse tentatus est in omnibus, sicut & nos, ideoque eo commodius nos ducere potest, & condolare nobis errantibus, Heb. 5. v. 2. donec introducat nos in domum patris sui, Joh. 14. v. 3. in paradysum, Luc. 23. v. 43. in celestem Hierosolymam, Apoc. 21. v. 2.

O ductorem fidelissimum! qui non recedit à nobis, quando calamitatibus impetimur, sed est nobiscum in tribulationibus, & eripit nos, Psal. 91. vers. 15. ideo grato animo id agnoscite, sequimini hunc ductorè, nec poenitebit vos unquam. Mirificat etenim quidem sanctos suos, Psal. 4. vers. 4. attamen ita, ut Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Roman. 8. v. 28.

III. *Tanquam ovicularum suarum alimentator.* Ego veni, ait Servator, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Observandum hic:

1. *Adventus*, de quo ipse ait: Veni, nempe ut Dominus ad servos, ut medicus ad æ-

gros, & ut liberator ad captivos. Hæc magna gratia est, cujus intuitu non immerito exclamamus, ut Arenæ Jebusæus ad Davidem ait: Quid cause est, ut veniat Dominus meus Rex ad servum suum? 2. Sam. 24. 18.

Eramus in tenebris & umbra mortis, Luc. 1. v. 79. Sed Christus tanquam lux mundi nos illuminavit, ut jam in luce ambulemus, in luce nimirum Evangelii, & in hoc lumine aliquando videamus lumen æternum, Psal. 36. v. 10.

2. *Effectus.* Manet enim nos

1. *Vita constantia*, de qua Christus: Veni, ut vitam habeant. Quæ duplex:

1. *Vita gratia*; natura enim in peccatis mortui sumus. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos & cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo, Eph. 2. v. 4.

2. *Vita gloria*, qui post mortem incipiet. Quamvis enim corpus moriatur, tamen spiritus non moritur, sed redit ad Deum, qui dedit illum, Eccl. 12. v. 7. Die novissimo & corpus sequetur, & cum anima redunitum eum Domino erit semper, 1. Thess. 4. v. 17. Sap. 5. v. 16. 17.

Vivant igitur filii hujus seculi quotidie in delitiis, epulentur splendide ut dives ille epulo, Luc. 16. v. 19. Tu ex adverso temperanter, juste & sobrie vive in hoc seculo, Tit. 2. v. 12. & securus eris, quod hæres futurus sis ejus vitæ, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18.

2. *Bonorum abundantia.* Hoc mystice intelligendum est. Hac in vita rarius offendet Christianum, qui omnium rerum in affluentia vivat. Nonne Servator ipse adeo pauper

per fuit, ut quò caput reclinaret, non habuerit? Matth. 8. v. 20. Sed quòd spiritualia bona concernit, verè dicere possumus, quòd abundantiam habeamus in omnibus, quòd ad procurandam æternam salutem sufficit. In Christo enim habemus redemptionem per ipsius sanguinem, & remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14. Ubi autem remissio peccatorum, ibi & vita & salus, Psal. 32. v. 1. 2.

Filii hujus seculi *terrena sapientes*, his in bonis sufficientiam non habent, sed quando promtuarìa eorum plena sunt, educcentia de frumento in frumentum, hæc co-

rum summa voluptas est, Psal. 144. v. 12. Verum, quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat: Qui Christum diligit, omnia habet, quia omnia habentem habet, & aliquando cum eo & per eum, & in eo salutem æternam hæreditabit, ubi abundantia gaudiorum est cum vultu ejus, & delectationes in dextra ejus in æternum, Psal. 16. v. ult.

Id quòd nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus pater, per filium suum Jesum Christum, redemptorem nostrum, in Spiritu sancto, Amen!

In festo die Iohannis Baptistæ.

Evangelium Luc. 1. v. 57. --- ad finem.

EXORDIUM.

CUm Saul populo Israëlítico præsentaretur, ut Rex ejus esset, deprehendebatur ille *altior universo populo ab humero & sursum*. Hoc Samuel populo ad animum revocabat, tanquam evidens signum, unde colligerent, quòd à Deo electus esset. Certè, ait: *videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi, in omni populo*. Et clamavit omnis populus, & ait: *Vivat Rex!* 1. Sam. 10. v. 23. 24.

Hoc exemplum *statura corporis* est, quâ Deus hunc præ illo donare solet. Olim monstra quædam fuerunt filiorum Enac, de genere giganteo, quibus alii comparati, quasi locustæ visi sunt, Num. 13. v. ult. Sicut in specie de Og Rege Basan Moses scribit, quòd lectus ferreus ei fuerit, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitu-

dis, ad mensuram cubiti vicis manus, Deut. 3. v. 12. ideo vocantur *Raphaim* ab exanimatione, quia homines in ipsos incidentes præ metu quasi exanimati sunt, 2. Sam. 5. v. 18. Tales quoque inter Philistæos fuerunt tempore Davidis, ut monstrum illud hominis Goliath probat, 1. Sam. 17. vers. 5. item duo filii Arapha, quorum mentio fit, 2. Sam. 21. v. 16. 19. Verum non in fortitudine equi voluptatem habet Deus, nec in tibiis viri beneplacitum est ei: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, Psalm. 147. vers. 11. oculi enim ejus respiciunt fidem, Jerem. 5. vers. 3.

Johannes Baptista majori laude celebratur, de quo Christus testatur, quòd inter natos mulie-